



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Thomas Strange. n. 25.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

Reges aditus. Cum peruenissent, idem Pseudo Minister voluit ea refutare, sed  
Hæreticorum more; quo factum est ut denuo reuisa prodierint in lucem do-  
ceto cum commentario *Ioannis Floydii*.

XXV. Rex Christianiſimus circa hæc tempora filiam collocauerat Ca-  
rolo Principi in Matrimonium. Dominus d'Effiat Regis Orator vlus ea cele-  
britate coniugij impetravit ab Iacobo pro viginti Sacerdotibus condonatio-  
nem amplissimam viuierorum quibus peccatur in leges aduersus Catholi-  
cos latas: Inter hos Perceyus sigillo literisque regijs munitus obibat securus, vt  
credebat, à molestia: Incidit tamen rursus in cales, coram Senatu responsurus  
de literis quibus tātopere confidebat; Isthic acriter disputatum est, Senatu affir-  
mante condonationem de præteritis delictis intelligendā; Perceyo defendente  
in futurū etiam tempus poenitendum: Præcipiebat enim Rex si carcere teneretur  
dimitti liberum, à nemine deinde molestia affici, pace Regis firmā gaudere, in  
dubijs etiam interpretandā esse condonationem in mitiore partem. At quid  
quid ille adserret, Cantuarieſis Antistes denuntiavit voluntatis esse Regia ut  
exulareret, data fidenon reuertendi de qua fide rursus disceptatū; Perceyo afferente  
non posse ē fidem obligare cum iuri sui non sit; si Superior præcipere, de-  
bere redire. At quis, inquit, magis Superior, quam Rex? In ijs, inquit Perceyus,  
quē sui effent spiritualis munera, Pontifex.) At si Rex Hispaniæ prohiberet quē-  
piam regno, agrè profecto ferret eum si Pontifex immitteret." De eo, inquit  
Perceyus, videat Pontifex.) Argumentationis conclusio fuit; data fide non  
redeundi, exulandum; donec fidem faceret tenendum custodia Welt-Mona-  
sterensi. Illa octo menses duxerit; Tum Regina intercedente liber prioribus Rursus li-  
in Catholicæ Religionis defensionem scriptis pluribus addidit alia, & plures  
primæ nobilitatis viros faminaque restituit Ecclesia, restitutosque confirmá-  
uit. Septuagenario maior, catharro in fauces defluente, & in malum qui Can-  
cer dicitur degenerante, annis pene duobus æger, vitam hanc ærum nosam  
cum meliore commutauit; Professus quatuor votorum ab anno nono supra  
sexcentesimum.

Nicolans Harte is est quem in Eudæmon-Ioanne legimus sub nomine *Nicolaus Hammundi* vocatum in crimen absolutorum Cōiuratorum bīduo postquam *Harte.*  
fuiſſent deteſti: Cui cū captiō nihil huicmodi illatum fit, magnum est  
testimonium innocentie; Præterquam quod absoluſſe carere potuit crimi-  
ne multis de causis quas Eudæmon explicat. Salisburio fortasse si vixisset, ars &  
malitia non defuſſet quā innocentissimum per calumniam tolleret. Sed eo Cap. 10.  
ipſo anno redeuntem ex balneis mox repentina, & fæda vermis de itinere  
oppreslerat, quē Iacobus Rex hoc ornauit Epiphonemate "Aures nunc habe-  
bimus liberas à proditionibus.") Nimirum habebatur plurium ille inuenitor &  
buccinator proditionum quām reuera fuiffent à quoquam conceptæ.

Durius aetum est cum *Thoma Strange* in Prouincia Warticensi cōprehenso: *Thoma Strange.*  
delatum Londinum in Arcem tam effrænatè torſerunt ut fractus viribus reli-  
quām vitam in summa renū debilitate traxerit, & dolore; eam tamen quē-  
ſionis

1610. stionis violentiam non fortiter modo & constanter tulit, sed (ut erat festiu à natura ingenio) non infacetè : Etenim PseudoMinistrum importunè in ipso ardore quæstionis argumentantem venuste retudit cùm diceret, " Iniquà, bone vir, mecum agis conditione; sublimem te appendant hi homines sicut me, tum æquo loco disceptabimus). Neque Praefectus Arcis *Guilielmus Wade*, accerrimus Sacerdotum vexator, fuit immunis ; Cùm enim testem coram Senatu Regio produxisset *VVadus* quendam cui à cornu nomen, exceptip Strangius minus idoneum illum esse testem eo quod *VVado* esset affinis: & *VVado* quidem stomachum, curus vxor non optimè audiebat, Senatui risum mouit iocus non inurbanus ; festiuitas tamen sermonis nihil nocuit cauæ; Ut quid enim diutius vexare hominem, quem nudâ ex suspicione captum, infirmis testibus accusatum, nullo fundamento tortum, in sua ipsius innocentia tam securum videbant. Pulsus igitur quoniam Sacerdos vixit in Belgio ad annum huius sæculi trigesimum nonum Professus, trium votorum, capitis renunquam imbecillitatem plerumque recreans Sanctorum virtutis perlegendis, & in dramata nativo idiomate composita digerendis; vir modestus & humilis, rerumque suarum narrandarum parcissimus.

*Ioannes Blaefanus somnioexceptatur ad Abrumpon.* XXVI. Comitem habuere carceris & exilio *Percyus & Hartus Ioannem Blaefanum*, spectatæ integratæ & cædoris virum. Hunc in Academia Cantabrigensi in Artibus Magistrum, lectio Augustini & aliorum inter Catholicos librorum ad Catholicè lentiendum permouerat: hærebat tamen in sadness moras. lebris liberoris vitæ oblectamentis implicatus, donec somnio stimulatus se collegit. Oblata est ei species Christi Domini iudicantis, coram quo cùm de multis accusaretur, tum præsertim de dilata coru prosecutione quæ legendo didicerat; Pronunciauit Iudex torquendum esse viscerum dolore, quem & sensit ita acerbum ut clamaret plus infligi quam Iudex mandasset, promitteretque nunquam se in posterum precibus Schismaticorum ad futurum. Non solum stetit promiso, sed ad placandum Christum Iudicem, indixit sibi seuerum iejunium quatuor dierum per hebdomadam; noctes precando per vigilabat; de die tempus lusionibus subtrahebat; in coquæ perleuerauit sex mensibus antequam Catholicum quampiam conuenire posset. Obulit se tandem vir grauis, rogauitque an vellet cum Sacerdote familiarem habere congressum. " Perlibenter, inquit, at vereor ut reperiatur aliquis tam multos his annis sustulerunt. ) Ne metuas, inquit, brevi docebo quo loco occures alicui. Pauorum dierum interhallo rediens, " Vade, ait, ad talem syluam, & obuiam tibi erit quem optas. In sylua occurrit Sacerdoti ex antiquis regnante Maria initiatis; hic post breue colloquium, absolvit illum primò ab Excommunicacione, solemni usus Ecclesiæ ceremoniâ, nudum etiam collum virgâ ex arbore collecta percutiens, dum recitaret Psalmum *Miserere*. Tum dixit illi diem & locum quo ad se rediret facturus ex homologis: Venit; & ex indice bene longo interroganti Sacerdoti respondens, aggregatus est Catholicis, continuato quod suscepserat iejunio donec transfretaret. Anno octogesimo septimo magna erat rerum